

in ea portus, qui vocatur Castra Annibalis, nusquam Angustiore Italia. xx. M. pass. latitudo est. Itaque Dionysius maior intercensam eo loco adicere Siciliae voluit. Amnes ibi nauigabiles, Cacinus, Crotalus, Semirus, Arocha, Targines. Oppidum intus Petilia, mons Clibanus, promontorium Lacinium: cuius ante oram insula. x. M. pass. a terra Dioscoron, altera Calypsus, quam Ogygiam appellasse Homerus existimatur. praeterea tres Sirenae, Meloeffa. Ipsum a Caulone abesse lxx. milibus pass. prodidit Agrippa.

Secundus Europae sinus. CAP. XI.

Lacinio promontorio secundus Europae sinus incipit, magno ambitu flexus, & Acroceranium Epiri finitur promontorio, a quo abest lxxv. M. pass. Oppidum Croto, amnis Neathus. Oppidum Thurium inter duos amnes Crathin & Sybarin, ubi fuit vrbs eodem nomine. Similiter est inter Sirin & Acirin Heraclea, aliquando Siris vocitata. Flumina Acalandrum, Casuentum, oppidum Metapontum, quo tertia Italiae regio finitur. Mediterranei Brutiorum Aprustani tantum. Lucanorum autem Atinates, Bantini, Eburini, Grumentini, Potentini, Sontini, Sirini, Tergilani, Vrsentini, Volcentani, quibus Numestrani iunguntur. Praeterea interisse Thebas Lucanas Cato auctor est. Et Pandosiam Lucanorum urbem fuisse Theopompus, in qua Alexander Epirotes occubuerit. Connequitur secunda regio, amplexa Hirpinos, Calabriae, Apuliam, Salentinos ccl. M. sinu qui Tarentinus appellatur, ab oppido Laconum in recessu hoc intimo sito, contributa eo maritima colonia quae ibi fuerat. Abest cxxxvi. M. pass. a Lacinio promontorio, aduersam ei Calabriae in peninsulam emittens. Graeci Messapiam a duce appellauerunt: & ante Peucetiam, a Peucetio Oenotri fratre. In Salentino agro inter promontoria c. M. pass. intersunt. Latitudo peninsula a Tarento Brundisium terreno itinere xxxii. M. pass. patet, multoque breuius a portu Sasina. Oppida per continentem a Tarento, Varia, cui cognomen Apulae, Messapia, Aletium. In ora vero Senonum Gallipolis, quae nunc est Anxa lxxij. M. pass. a Tarento. Inde xxxij. M. 40 promontorium, quod Acran Iapigiam vocant, quo longissime in maria excurrit Italia. Ab eo Basta oppidum, & Hydruntum decem ac nouem M. pass. ad discrimen Ionij & Adriatici maris, qua in Graeciam breuissimus transitus. Ex aduerso Apollonia oppidum, latitudinem intercurrentis freti, quinquaginta M. non amplius. Hoc interuallum pedestri continuare transitu pontibus iactis, primum Pyrrhus Epiri rex cogitauit: post eum M. Varro, cum classibus Pompeij piratico bello praesesset. Vtrunque alia impedire cura. 50 Ab Hydrunte Soletum desertum, dein Fratruertium. Portus Tarentinus, Statio militum Lupia, Balesium, Calium, Brundisium l. M. pass. ab Hydrunte, in primis Italiae portu nobile, ac velut certiore transitu, sicuti longiore, excipiente Illyrica vrbe Dyrrhachio cxxx. M. traiectu. Brundisio conterminus Pediculorum

ager. ix. adulescentes totidemque; virgines ab Illyriis tredecim populos genuere. Pediculorum oppida, Rhudia, Egnatia, Barion, ante Iapyx a Dedaali filio, a quo & Iapygia: amnes, Paetius, Aufidus ex Hirpinis montibus Canusium praefluens. Hinc Apulia Dauniorum cognomine, a duce Diomedis socero. In qua oppidum Salapia, Annibalis meretricio amore inclutum, Sipontum, Vria: amnis Cerebalus, Dauniorum finis: portus Agasus, promontorium montis Gargani, a Salentino siue Iapygio cxxxviii. M. pass. ambitu Gargani: portus Garnae, lacus Pantanus. Flumen portuosum Frento, Teanum Apulorum. Itemque Larinum, Cliternia, Tifernus amnis. Inde regio Frentana. Ita Apulorum genera tria: Teani a duce Gares: Lucani, subacti a Calchante, quae loca nunc tenent Atinates. Dauniorum praeter supra dicta colonia, Luceria, Venusia: Oppida Canusium, Harpi aliquando Argos Hippium Diomede condente, mox Argirippa dictum. Diomedes ibi deleuit gentes Monadorum, Dardorumque; & vrbes duas, quae in proverbio ludicrum vertere, Apnam & Tricam. Caetera intus in secunda regione, Hirpinorum colonia una Beneuentum, auspiciatius mutato nomine, quae quondam appellata Maleuentum. Aufeculani, Aquiloni, Abellinates cognomine Protropi, Copsani, Caudini, Ligures qui cognominantur Corneliani, & qui Bebiani, Vescellani, Deculani, Aletini, Abellinates cognominati Marsi, Atrani, Aecani, Alfellani, Atinates, Arpani, Borcani, Collatini, Corimenses, & nobiles clade Romana Camenses, Dirimi, Forētani, Genusini, Hordonienses, Hyrini, Larinates, cognomine Frentani, Metinates, ex Gargano Mateolani, Neritini, Matini, Rubustini, Syluini, Strapellini, Turmatini, Vibinates, Venusini, Vlurtini. Calabrorum mediterranei, Aegitini, Apamestini, Argentini, Bututineses, Deciani, Brumbestini, Norbanenses, Palionenses, Sturnini, Tutini. Salentinorum, Aletini, Basterbini, Neretini, Valentini, Veretini.

Regio Italiae quarta. CAP. XII.

Equitur regio quarta gentium vel fortissimarum Italiae. In ora Frentanorum a Tiferno flumen Trinium portuosum. Oppida, Histonium, Buca, Ortona, Aternus amnis. Intus Anxani cognomine Frentani, Carentini supernates, & infernates, Lanuenses: Marrucinorum Teatini: Pelignorum Corfinienses, Superaquani, Sulmonenses: Marsorum Anxantini, Atinates, Fucentes, Lucenses, Maruij, Albensium Alba ad Fucinum lacum: Aequiculorum Cliterni, Carseolani: Vestinorum Angulani, Pinnenses, Peltuinates, quibus iunguntur Ausinates cismotani: Samnitium, quos Sabellos, & Graeci Saunitas dixere, colonia Boianum vetus, & alterum cognomine Vndecumanorum. Aufidenates, Esernini, Fagi, Fugali, Ficolenses, Sepinates, Treuentinates: Sabinorum Amiternini, Curenenses, Forum Decii, Forum nouum, Fidenates, Interamnetes, Nursini, Nomentani, Reatini, Trebulani, qui cognominantur Mutuscaei, & qui Suffenates, Tiburtes, c. iiii Tarinates,